

concussam demolitamque viderunt ii , qui intus erant : 1440
 tum vero Sforcianis per ipsas murorum ruinas in arcem
 scandentibus cessere . Lunatenses & ipsi non multo post ,
 conspectis Sforciæ signis , imperium accepere , quam Mon-
 clarense cum Caprianis & Volterinis studio secuti sunt .
 Admota demum ad Piscariam castra : est id oppidum (ut
 alio loco significavimus) ad Mincii caput : arx ibi nobilissima
 fluvio incubans , cum ponte ac turribus utramque
 ripam amplectentibus .

Hic Sforciæ castra habenti Nicolaus Æstensis ex improviso affuit . Is de pace aucturus , ad eum & Maripetrum legatum in castra venerat ; multaque de fortunæ varietate præfatus (cuius ajebat Venetos Sforciamque oportere esse memores) pacem cum Philippo suadere cœpit : ejus se auctorem arbitrumque futurum , si ita eis videretur , est pollicitus . Addidit ad hæc , quod Sforciæ cordi esse sciebat , curaturum se , ut Philippus Blancam filiam , quam ad eam diem dare recusasset , in castra usque (si ita illi placitum esset) cum ornatissimo apparatu mitteret . Ad ea Sforcia , se quoque quietis & ocii , a quo Venetum sciret non omnino abhorrente , auctorem dimisit , modo Philippus ita evenire vellet . Quod ad Blancam attineret , ipse cum patre & aliis amicis in medium consuleret . Cum his Æstensis Mediolanum recta ad Philippum abiit . Interim Piscaria quadriduo postquam cœpta erat oppugnari , Contareni navaliumque fociorum virtute (nam classis eo sub Sforciæ adventum admota erat) vi capta , hostiliusque direpta est . Ad turrim demoliendam , quæ non solum arcis , sed oppido quoque prominebat , bombardia ingens (cuius vi Marchariæ arcis mœnia non multo ante miræ crassitudinis disjecta fuerant) admota est . Ejus machinæ impetus tam vehemens fuisse dicitur , ut & domus aliquot oppidanorum vehementi motu terræ , qui ad ejus iactum sequebatur , repente conciderint : & naves , quæ in ipso lacu ad quingentos & amplius passus procul arce in anchoris stabant , quotiens lapis excuteretur , fluctuantibus aquis , inter se colliderentur . Turris igitur ea vi con-

Piscaria a
Venetis vs
capitur .

cussa ,